

tellectas libere amplectimur vel rejicimus. Eaque fit vel solo animo; vel animo simul & corpore, quæ posterior vocatur motus arbitrarius.

III. Hæ cogitationes, jam enumeratæ, fiunt vel sine, vel cum vehementiore spirituum animalium, in ventriculis cerebri existentium, motu. Ubi ab illis vehementior spirituum motus abest, illæ sunt pacatæ & tranquillæ, simplicibusque variarum intellectus & voluntatis specierum & partium jam enumeratarum nominibus designantur. Cum verò inter cogitandum spiritus illos vehementius in ventriculis cerebri moveri contingit, tum inquietantur & turbantur ab illo vehementiore motu cogitationes, mensque & corpus vehementius ab illis afficiuntur & patiuntur, atque ideo latine Animi affectus, vel passiones & perturbationes, & græcè pathemata nuncupari consueverunt.

IV. Ex his patet *Animi affectum* esse cogitationem, cum vehementiore spirituum Animalium, in ventriculis cerebri existentium, motu conjunctam, quo Animus sive mens, cum corpore, vehementius afficitur. Dico affectum esse *cogitationem*, quia est actio, quam ad rem attendentes peragimus: *eamque cum vehementiore spirituum cerebri motu, mentem, corpusque vehementius afficiente, esse conjunctam*; quia id vehementes in corpore motus, & mentis perturbationes, quæ sine illo fieri non possunt, probant.

V. Quia affectus sunt cogitationes, eæque in solo cerebro à mente fiunt, mentemque ibidem immediate & præcipue afficiunt, idcirco *eorum sedes* primaria & præcipua est Cerebrum: quia verò à spirituum illo, motu etiam cor aliæque corporis partes fortius afficiuntur, quæ deinde mediantibus nervis cerebrum & in eo mentem vicissim afficiunt, ideoque etiam cor aliæque partes, ab iis affectæ, & mentem deinde etiam afficientes, eorum quoque sedes, sed secundaria, dici possunt.

VI. *Motus ille spirituum animalium*, qui illas cogitationes comitantur, men-